



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

CV. De requisitis ad iustificationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

*Spei.**Desperationis.*

tria. Considerandum enim est quàm sit longa poena inferni, quàm gravis quàm infructuosa. E contrario verò presentis temporis poenitentia brevis est, & levis, & fructuosa. Contra spem quoque itidem tria opponuntur, bona scilicet futuri sæculi, presentis vitæ bonis majora, certiora, durabiliora: ad quorum comparisonem quicquid in hoc mundo desiderari potest, modicum est & incertum, & ut ita dicam, momentaneum. Ita contra desperationem vincendi peccatum, tria sunt remedia. Primum est vigor ipsi propositi boni, quem assumit ex Confessione. Secundum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate. Tertium est auxilium, quod ex ejus habet cui confitetur compassione.

S E R M O C V.

De requisitis ad justificationem.

In duobus consistit nostra salus, in Iustific. & Glorific. a Esa. 64. 2

*b Rom 8. f**c Matth. 5. c*

Ad justificationem qua requirantur.

d Matth. 5

Duo sunt in quibus consistit nostra salus. Iustificatio & Glorificatio. Altera initium, altera perfectio est. In illa labor, in hac autem fructus laboris est. Et nunc quidem iustificatio fit per fidem: nam glorificatio erit per speciem. Quanta autem sit in futura vita glorificatio sanctorum, humanus interim non potest attingere intellectus. De illa enim scriptum est, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* Hac ergo interim omissa, quoniam vires nostras excedit, de justificatione quæ nunc agitur, aliquid ad ædificationem Fratrum nostrorum, quod necessarium visum est, loquamur. Ipsa est enim via, per quam fit transitus ad glorificationem, dicente Apostolo *b. Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit, quos autem iustificavit, hos & magnificavit.* Neque enim poterit obtineri magnificentio, nisi iustificatio præcesserit: cum ista meritum, illa præmium sit. Hoc in Evangelio docuit Dominus, qui cum Discipulis evangelizaret regnum Dei, primum eis proposuit justitiam, dicens: *Nam nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum.*

Notandum autem, quod sicut in illo beatitudinis regno præsentem se electis suis exhibebit Dominus ad glorificationem, ita etiam se eisdem ipsis exhibet in via peregrinationis ad justificationem, ut à quo scilicet glorificandi sunt per speciem, ab ipso prius iustificentur per fidem. Et quidem tria sunt à quibus abstinere debent quicumque iustificari desiderant. Primum utique ab operibus pravis, secundò à carnalibus desideriis, tertio à curis sæculi. Item tria sunt quibus debent insistere, quæ etiam continet sermo Domini in monte *d*, eleemosyna, jejunium, oratio. Sic enim adimpletur iustificatio, dum ab interdictis vitis abstinent, & bona quæ præcepta sunt fideliter exercent. Opponantur ergo pravis operibus opera misericordiæ, contra carnalia desideria adhibeantur jejunia, & pro curis sæculi succedat amor Dei, & frequentia orationis.

S E R M O